

specialiter per nos facta passi sunt, cum in omnibus nostram captent benivolentiam, alleviare volentes, ipsis promittimus et certificamus per praesentes, cum nobis ad praesens in quinquaginta marcis argenti subveniant, quod de cetero vita nobis durante nullam singularem et specialem petitionem alicuius pecuniae nobis dandae in quemquam ipsorum facere debeamus, sed si ex causis necessariis in ipsos aliquam petitionem pro aliqua pecuniae summa nobis danda facere compellimur, illam in omnes communiter et universaliter faciemus nulla singulari aut speciali pecuniaria petitione in ipsorum aliquem amplius attemptanda. In cuius promissionis nostrae dictis civibus nostris factae testimonium evidens ipsis praesentem litteram dari fecimus ad praemissorum observationem inviolabilem sigilli nostri munimine roboratam. Huius testes sunt Cunradus Hunrich, Henricus de Wrganewytz milites, Hermannus de Isenberg, Henricus de Tuschewytz, Guntherus de Zlowin et quamplures alii fide digni. Datum per manum Adolphi notarii nostri et actum anno incarnationis domini millesimo trecentesimo tertio quarto Nonas Martii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem wohl erhaltenen Siegel an Fäden von rother Seide.  
Hasche Urkundenb. S. 64.

No. 18. 1303. 24. Juni.

*Schwester Sophia genannt von Landsberg Aebtissin des Clarenklosters zu Weissenfels bezeugt, dass sie in der Streitsache ihres Klosters mit den Bürgern von Dresden wegen Anmassung einiger dem Kloster zuständigen Hofstätten und Besetzung derselben mit nachträglich niedergerissenen Gebäuden eine durch Schiedsspruch zuerkannte Entschädigung von 30 Mark Silber in Theilzahlungen von je 10 Mark angenommen hat.*

Quia propter caducam vitam hominum et labilem memoriam facta priorum ut frequenter posteris in oblivionem veniunt vel in dubium revocantur eaque propter consopitae causarum actiones nonnumquam evigilant et lites praemortuae aliquociens reviviscunt, nos soror Sophya dicta de Landesberc abbatissa ordinis sanctae Clarae in Wyzenuels et universae eiusdem ordinis sorores ibidem volentes ut causa, quae inter nos ex parte una et inter honorabiles viros cives in Dresden ex parte altera vertebatur super quibusdam areis nostris ab ipsis civibus occupatis et aedificatis desuper aedificiis demolitis, cum arbitrario iudicio legitime sit perempta, numquam in perpetuum suscitetur, praesentibus litteris tamquam his memoriis semper vivis volumus commendari, quod arbitrantibus honorabilibus viris domino H. dicto de Zweyme praeposito maioris ecclesiae in Mysna et Jo. plebano in Ozzets ex parte nostra et domino [Adolpho]<sup>a)</sup> scriptore marchionis de Dresdeyn ex parte civium acceptavimus pro omni dato ab ipsis civibus XXX marcas Vribergensis argenti per X et X tribus temporibus nobis dandas, renunciantes intuitu pietatis dictae causae omni in perpetuum actioni. Testes huius rei sunt iidem qui arbitri et<sup>1)</sup> inclita femina domina Elena relicta illustris quondam principis marchionis Th. de Landesberc et domina abbatissa, qua-

a) Im Orig. ist ein freier Raum zu Nachtragung des Namens gelassen.

1) Im Orig. nochmals et.